



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

XV. De vers 14. Quoniam in me speravit liberabo eum &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

piscientiam terrenorum. Quis putas illius prætervitabit insidias? Nemo utique nisi prudens. At forte dum ad ista descendere caves, urget quis molestia: & ecce protinus aspis adest. Nam opportunum tempus sibi invente videtur. Quis non exasperabitur ab aspide ista? Nempe vir temperans & modestus, qui sciat abundare, & penuriam pati. Puto ex hac occasione falcinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem suam? Profecto justus, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam quæ Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam: si tamen ille sit justus, qui juste quod justum est exequatur, qui justitiam suam non faciat coram hominibus, qui denique etsi justus fuerit, caput non levet. Hæc enim virtus specialiter in humilitate consistit: Hæc intentionem purgat, hæc quoque meritum omne eo veracius & efficacius obtinet, quo minus arrogat sibi.

## S E R M O X V.

De y. XIV. *Quoniam in me speravit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

**V**enite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos: dicit Dominus<sup>a</sup>. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem a nimabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit aut labore, magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere levi, suavi jugo, in quibus requies ac refectione etsi minus appareat, tamen inveniatur. Grave onus iniqüitas sedens super talentum plumbi<sup>b</sup>. Sub hac gemebat sarcina qui dicebat<sup>c</sup>: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Quod ergo onus Christi quod onus leve? Ut quidé ego sentio, onus beneficiorum, dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur. Alioquin si non invenias, si non advertas, grave omnino & periculosum. Oneriferum animal homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est grave; si jam forte exoneratus est à peccatis, minus quidem grave; sed si sanum sapiat, non minus grande onus inveniet hanc ipsam quam diximus exonerationem. Onerat nos cum exonerat Deus: onerat beneficio cum exonerat peccato. Vox onerati<sup>d</sup>: Quid retribuam Domino pro omnibus que retribuit mihi? Vox onerati<sup>e</sup>: Exi à me quia homo peccator sum Domine. Vox onerati<sup>f</sup>: Semper enim quasi timentes super me fluctus, timui Deum. Semper (inquit) timui: sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo qui ita semper est pavidus, nec flobi<sup>g</sup> minori angitum sollicitudine, ne forte obruatur beneficiis, quam peccatis.

Ad

Onerat nos  
Deus benefi-  
cio, cum exo-  
nerat peccato.  
dPsal. 115. a  
eLuc. 5. b  
flobi, 3. c

b Zach. 5. e  
e Ps. 37. a  
Onus peccati  
grave levi  
Christi onere  
commutatur.

# In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. XV. 555

Ad hoc siquidem divina nobis tam sedula erga nos & tam profuta  
beneficentia commendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad di-  
lectionem. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis  
tuis. Quid ultra potuit tibi facere & non fecit? Novi quid cogites ingenua  
creatura. Habes gratiam Angelis Domini, sed ad ipsum ambis Dominum  
Angelorum. Oras & optas, ut nunciis non contentus, ipse quoque qui lo-  
quebatur, adsit: nec te quasi per medium, sed sui oris osculo osculetur.  
Audisti super aspidem & basiliscum leonem pariter & draconem tibi am-  
bulandum fore, nec super draconem ipso victoriam Michaelis & Angelorum  
eius ignoras. Veruntamen non Michaeli, sed Domino clamant desideria  
tua. *Libera me, & pone me juxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me* <sup>g</sup> *Iob. 17.2*

*Dei dona non  
sine onere.*

Hoc nempe non est modo altis, sed ipsis quoque altioribus altius captare.  
refugium, ut ex sententia profitenti *Quoniam tu es spes mea*, merito respon-  
deatur, *altissimum posuisti refugium tuum.*

Non enim dedignatur esse spes miserorum miserator & misericors  
Dominus: non seipsum liberatorem simul & protectorem in se speranti-  
bus exhibere recusat. *Quoniam in me speravit* (inquit) *liberabo eum: pro-  
tegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Nempe, nisi Dominus custodie-  
rit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam <sup>b</sup>, sive ille homo, sive etiam  
Angelus esset. Montes in circuitu Hierusalem, sed parum hoc, immo nihil hoc  
foret, si non etiam Dominus in circuitu esset populi sui. Merito proinde  
in Cantico <sup>i</sup> sponsa describitur inventis licet vigilibus (imo ab eis magis  
inventa: nec enim eos ipsa quærebat) non substitisse, nec contenta fuisse  
vigilibus, sed percontata breviter de Dilecto, ad ipsum ocyus pervolasse.  
Erat enim cor eius non in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens. Et a-  
litr forte suadentibus aiebat <sup>k</sup>: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ  
meæ, transmigra in montem sicut passer?* Minus vigilanter id observarunt Co-  
rinthii, cum offendis quasi vigilibus secederent apud eos, & minimè per-  
transirent. *Ego quidem Cepha, ego aurem Pauli* <sup>l</sup>, aiunt, *ego vero Apollo.* Sed  
quid fecerunt vigiles sobrii, vigiles circumspecti? non enim poterant sibi  
suscipere sponsam, qui benè eam æmulabantur, qui æmulabantur Dei æ-  
mulatione, qui desponebant uni viro virginem castam exhibere Christo.  
*Percusserunt me & vulneraverunt me*, ait <sup>m</sup>. Ut quid ita? Ni fallor, urge-  
bant ut pertransiret, proinde inventura Dilectum. Denique etiam *tulerunt  
pallium meum* (inquit) haud dubium quin ut curreret expedita. Animad-  
vertere est quam valide percutiat, quibus sagittis Apostolus vulneret eos,  
qui divertisse apud vigiles videbantur. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus  
est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et item: *Cum enim dicit quis, Ego  
sum Pauli; alius autem, ego sum Apollo, nonne homines estis?* *Quid ergo est  
Apollo, quid vero Paulus?* *Ministri eius cui credidistis.* *Quoniam in me spera-*

<sup>b</sup> *Psal. 126.2*  
*Solus DEVS  
spes nostræ so-  
lidum presi-  
dium.*

<sup>i</sup> *Cant. 3. a\**

<sup>k</sup> *Psal. 10. a*

<sup>l</sup> *1. Cor. 1. b*

<sup>m</sup> *Cant. 5. c*

<sup>n</sup> *1. Cor. 1. b*

Sermones S. Bernardi.

Aaaa

yit.

*vit, liberabo eum.* Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo, sed in me (inquit) speravit: nihil boni nisi ex me, ne per ipsos expectans. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum<sup>o</sup>. Ex me vigilæ hominum utiles, circa opera utique manifesta, eis nimirum custodes homines deputavi. Ex me excubiae Angelorum observantium, secretiores motus spiritualiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterum intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat necesse est, quod illo quidem humanus nequeat, sed ne angelicus quoque oculus penetrare.

**s. Iacob. 1. c**

*Triplex custo-  
dia seu gu-  
bernatio no-  
stris.*

**1. Erga Ho-  
mines.**

**p Pf. 118. k**  
**q Heb. 13. c**

**2. Erga An-  
gelos.**

**3. Erga Deū.**

*Judicium Dei  
precipue in-  
tendendum &  
comendandum.*

**Timor Dei  
materia spei**

Agnoscamus triplicem hanc custodiam, Fratres, & exhibeamus nos eis quales cuique convenit exhiberi. Provideamus bona coram hominibus, coram Angelis, coram DEO. Contendamus placere omnibus per omnia; sed maxime ei qui maximus est super omnia. In conspectu Angelorum psallamus ei, ut in eis impleatur quod scriptum est<sup>p</sup>: *Qui timente, videbunt me & latabuntur: quia in verbo tuo super speravi.* Obediamus Præpositis nostris, qui pervigilant tanquam reddituri rationem pro animabus nostris, ut non cum tristitia hoc faciant<sup>q</sup>. Et quidem gratias DEO, ex cuius solo munere venit. Non est quod multum vos moveam; non est quod multum vobis timeam in hac parte. Quod enim est gaudium meum, & gloria mea, nisi prompta obeditio & irreprehensibilis conversatio vestra? Quid si certo cognoscerem ne Angelos quidem amplius aliquid in vobis cognoscere quod dedebeat, apud neminem vestrum ex anathemate Hierico quippiam occultari, non murmurare aliquem, non detrahere in occulto, non simulatorie agere vel remisse, non ignominiosas voluere animo cogitationes, quibus solet (heu) interdum ipsa quoque pars corporis perturbari? Magnum hoc mihi gaudii incrementum, sed nondum utique plenitudo. Non enim tam magni sumus, ut possit nobis adeò esse proximo, ab homine judicari non posse, minus autem nihil conscientis esse nobis. Cæterum si occultissimum Judicem timent etiam magni, quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare? O si mihi continget certum esse nil esse in omnibus nobis illum offendens oculum, qui solus perfecte novit quid sit in homine, videns in eo & quod in se ille non videt, Hoc vel maximè judicium vestigemus, Fratres, & eo amplius frequentemus in timore & tremore ipsius considerationem, quod minus comprehendere possumus investigabilem abyssum judgmentorum Dei, & irrefragabilem dispositionem. Cum hoc timore spes habet meritum, cum hoc metu fructuosè speratur.


Est autem is ipse timor firmissima quædam & efficax materia spei, si quis prudenter advertat. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor

# In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. XV. 557

mor iste, & ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Po-  
strem beneplacitum est Domino super timentes eum, & utique vita in <sup>rPsal. 146. b</sup> voluntate eius, & in beneplacito eius salus æterna. *Quoniam in me speravit,*  
*liberabo eum.* Dulcissima liberalitas, in se sperantibus non deesse. Hoc e-  
nem totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum  
hominem salvum facit. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & libera-*  
*sti eos, ad te clamaverunt & salvi facti sunt : in te speraverunt, & non sunt*  
*confusi*<sup>s</sup>. *Quis enim speravit in eo & confusus est ? Sperate in eo omnis*<sup>fPsal. 21. a</sup>  
congregatio populi. *Quemcunque enim locum calcaverit pes vester, ve-*  
ster erit. Pes vester utique spes vestra est : & quantumcunque illa proce-  
serit, obtinebit, si tamen in DEUM tota figatur, ut firma sit & non titubet.  
*Quid timeat aspidem aut basiliscum, quid leonis rugitus, aut draconis si-*  
bilos expavescat?

*Spei nostraræ re-*  
*spondet DEI*  
*liberalitas.*

*Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Porro liberatum quidem ne „  
iterum egeat liberari, protegam eum & conservabo, si tamen cognoverit  
nomen meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomine meo det glo-  
riam. *Protegam eum quoniam cognovit nomen meum.* In præsentia enim vul- „  
tus glorificatio, in notitia nominis protectio exhibetur. Spes in nomine,  
res in facie est. *Quod enim videt quis, quid sperat*<sup>t</sup>? Fides utique ex au- „  
ditu, & ea quidem, juxta eundem Apostolum<sup>w</sup>, *est rerum substantia spe-*  
*rendarum.* *Protegam eum quoniam cognovit nomen meum.* Non novit no- „  
men eius, qui illud assumit in vanum, qui dicit ei Domine Domine, & non  
facit quæ dicit ipse. Non novit nomen eius, qui eum nec honorat ut pa-  
trem, nec ut Dominum timet. Non novit nomen eius, quid ad vanita-  
tes & insanias falsas convertitur. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius,*  
& non respexit in vanitates & insanias falsas<sup>x</sup>. Hoc nomen cognoverat <sup>xPsal. 39. a</sup> qui dicebat<sup>y</sup>: *Non enim est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat*<sup>y Actor. 4. c</sup>  
*salvos fieri.* Nos quoque si novimus nomen sanctum quod invocatum est  
super nos, desiderandum utique nobis, ut semper sanctificetur in nobis:  
atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris<sup>z</sup>? *Pater noster qui*<sup>z Matt. 6. b</sup>  
*es in celis, sanctificetur nomen tuum.* Denique audi quid sequatur in psal-  
mo. *Clamavit ad me, & ego exaudiui eum.* Hic fructus notitiae nominis,  
clamor orationis: porro fructus clamoris, exauditio salvatoris. Quomo-  
do enim aut non invocans exaudire poterat, aut nomen Domini nesciens  
invocare? Gratias ei qui manifestavit hominibus nomen Patris, fructum  
salutis in eius invocatione constituens, sicut scriptum est<sup>a</sup>: *Qui-*  
*cunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*<sup>a Iocel. 2. g</sup>



Aaaa 2

SERMO